









1694.

1. Eyselius, James Ph. Lippus: De glandularum natura
et usu
2. 3. 4. Gottwald, Johann Burkhard: De noviter reperiendis
instrumentis 1. Inapph
4. Lantzi, Christianus Fredericus: De prohibita seques-
tratione pecuniarum
5. Zilber, Melchior Ludolphus: De donationibus.
6. Matthiae, Peterius Wilhelmus, facultatis juris d'ice
senior primarius, et h. T. Decanus: Aquis et cordis
lecturi salutem (ad disputationem in aq. Guilielmi
Hieronymi Brueckneri iurata)
7. Matthiae, Peterius Wilhelmus: De transactionibus.
8. Matthiae, Peterius Wilhelmus: De praesentia juris
canonici proae jure civili in non fore


9. Matthiae, Hieronymus Wolkelius: De circumscriptione
 continuatione possessionis bonorum defuncti, sine
 mora heredum apprehensione, si solius legis status tunc
10. Meierus, Joh. Henr.: De jure proximorum lineari
11. Meierus, Joh. Henr.: De judiciis petitorio et possessorio
12. Meierus, Johann Heinrich: De successione feud
13. Streit, Johann Philippus: Conjur Jurisprudentia
14. Streit, Urbanus Josephus: De tempore
15. Winerp; Johann Matthias: De jure patronatus
- 16⁵ Albinus, Johannes Georgius: Delinquens defensus
 Der vertheidigte Mißthäter. 2 Bände
2. Fleischhauer, Augustus Friedericus: De causis,
 quibus successio conjugis amittitur

3. Meier, Joh. Henr.: De jure hereditatis jura
tis ..

4. Tode, Johann Hermann: De silentio

5. Sreit, Joannes Philippus: De beneficiis appellativis

6. Vesti, Julius: De palleitura



3319.

B. C. D. 1694, 2

26.

2

DISPUTATIO INAUGURALIS,
DE

NOVITER REPERTIS IN- STRUMENTIS,

Oder

Neu-erfundenen *W*erfunden/

Quam

DECRETO & AUTHORITY

INCLYTÆ FACULTATIS JURIDICÆ

IN PERANTIQUA UNIVERSITATE ERFFURTINA

PRO

CONSEQVENDIS IN UTROQUE JURE SUPREMIS
HONORIBUS & PRIVILEGIIS

Publicæ Disquisitioni subjiçit

JOHANN-BALTHA-
SAR *G*ottwalt/

*S*vinfurtô-Francus,

In Auditor. Jur. Colleg. major.

D. *S*eptembris Anno M. DC. XCIV.

H. L. C.

ERFFURTI, Typis JOH. HENR. GROSCHII, Acad. Typogr.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.





I.



Um Judex judicet secundum acta & probata, *L. 6. ff. de off. pres. L. 10. §. f. ff. de ed. vel in deliquet, quòd* ^{Necessitas probationis in judicio.} *Cardo rei sive negotij, de quo in judicio agitur, primario vertatur in probatione, Sic. inl. 4. n. 5. in f. ferè C. d. sent. & interl. actore enim non probante reus absolvitur, et si nihil præstiterit. L. 4. C. de edendo.*

II.

Varia verò dantur in judicijs probationum Species, quarum alia ordinaria, alia verò extraordinaria & subsidialis: Ordinaria, utpote probatio per argumenta & præsumptiones, per ^{Species probationum in judiciis.} testes, notorietatem facti, famam, Confessionem & per Instrumenta. Subsidialis probatio fit per

A 2

Jura-

Juramentum, arg. L. 3. C. de jurejur. L. 31. ff. de jurejur. c. 6. de purg. can. can. 12. & sequ. caus. 2. q. 4.

III.

Probatio per instrumenta frequens est in judiciis. Nulla autem probationum in judicijs ferè frequentior est probatione per Instrumenta, uti illis notissimum, qui quotidiè in foro versantur.

IV.

Vocabulum Instrumenti variè accipitur, aliter apud Latinos, aliter quandoque apud Historicos. Vocabulum verò Instrumenti accipitur variè, apud Latinos, seu vulgò pro eo, quò aliquid instruitur, sive paratur, in qua significatione etiam non rarò in nostris Pandectis occurrit, ut in Titulo de instruct. vel instrum. legat. ita dicuntur Instrumenta aratoria, venatoria, piscatoria, in L. 17. & L. 15. ff. dict. tit. apud Historicos quandoque instrumenta sunt rerum gestarum monumenta, sic Svetonius in vita Vespasiani c. 8. Instrumentum, ait, Imperij pulcherrimum & venustissimum confecit, quò continebantur penè ab exordio urbis Senatusconsulta, plebiscita, de Societate, foedere & privilegio.

V. Apud

V.

Apud Jurisconsultos verò instrumentum in sensu latissimo accipitur pro omni eo, quod de causa controversa fidem facit, *L. 1. ff. de fid. instrum.* Sic nomine Instrumentorum etiam Testes veniunt. *d. l. 1. ff. de fid. instrum. L. 99. § 2. ff. de verb. sign.* strictè verò Instrumentum dicitur scriptura, judici causam in judicio instruens. *L. 1. §. C. de probat. L. 17. § tot. tit. C. de fid. instrum.* strictissimè sumitur pro Instrumento tali, nimirum pro Instrumento publico. *Vvesenbec. in parat. n. 1. de fid. instrum.*

Apud Jurisconsultos tripliciter.

VI.

Instrumentum quoad nostram Disputationis materiam sumitur in prima significatione & sensu lato, nimirum pro probatione, quæ Judicem in judiciali controversia instruit. *L. 1. ff. de fid. instrum.*

Instrumentum hîc sumitur latè;

VII.

Licet verò hîc agatur de instrumentis, sive probationibus, ex quibus Judici de causa constare possit, non tamen hoc intellectum velim

Et tamen re-strictivè.

indistinctè, sed tantummodò, quatenus sunt instrumenta noviter reperta.

IIX.

Ut igitur eò feliciùs progredi possimus, videndum, quidnam hîc in jure dicatur novum.

IX.

Novum hîc
quid sit?

Itaque in Jure *Novum* hîc dicitur, quod inopportunò advenit, seu non statutò tempore manifestatum est, vel quod non in termino apparet. *Gloss. ad cap. 4. pastoralis x. de except.*

X.

Descriptio
Instrumenti.

Hinc Instrumentum noviter repertum describi potest, quòd sit probatio, quæ de causa in judicio vexatâ, non statutò tempore, sed demum post causæ conclusionem à partibus litigantibus Judici insinuatur, eum in finem, ut rescissâ conclusione Judex ulteriorem causæ probationem concedat & denique secundum illam pronunciet.

XI.

In hac descriptione locò generis ponitur pro-

probatio, ita ut quoque includantur Testes de novo reperti, qui ante conclusionem causæ vel sententiæ pronunciationem ignorabantur, *Myn- sing. sing. obs. cent. 4. obs. 60. n. 10. § 11. in fin.*

Testes de novo reperti quoque continentur subinstrumentis.

XII.

Quibuscunque verò personis neque naturā, neque Lege prohibitum est litigare, illis etiam post causæ conclusionem instrumenta noviter reperta in iudicio producere est concessum: tales sunt pupilli & minores cum auctoritate tutorum & Curatorum consensu. *L. 1. § 2. C. qui legit. pers. stand. §. 2. Inst. de Curat. R. I. de anno 1548. §. 31. § 1577. tit. 32. vers. und gebietzen. Gail. lib. 2. pract. obs. 108. Carp 2. §. resp. 86. Curator furiosi & prodigi. L. 1. ff. de Curat. fur. L. 1. C. eod. tit. Majorennis. L. 1. ff. ex quib. caus. maj §. 33. Inst. de act. Respublicæ, municipia, Universitates & quæcunque Collegia honesta. L. 4. C. quib. ex caus. maj. L. 3. C. de jur. reipubl. Berlich. p. 2. decis. 216. Item Ecclesiæ, Cœnobicia & alia pia loca. c. 1. 2 3. § 7. x. de restit. in integ. Tiragv. de privil. piar. caus. priv. 183. etiam Procurator. L. unica*

Personæ producentes noviter reperta instrumenta.

L. unica C. etiam per procurat. sed cum speciali mandato. L. 25. ff. de minor. vel cum generali cum libera, c. 4. de procur. in 6. Mynsing. cent. 2. obs. 26. & obs. 53.

XIII.

Personæ,
contra quos
producun-
tur.

E contra quicumque nec naturâ nec lege prohibentur conveniri, contra illos etiam instrumenta post conclusionem causæ noviter reperta produci possunt. Conveniri impediuntur mente capti, furiosi, quorum nomine tamen cum illorum Curatoribus agitur. *L. 4. ff. princ. de in jus voc. L. 1. §. 1. ff. de administr. tut. Pupilli & Minores sine tutorum auctoritate & curatorum consensu. L. 54. ff. de re jud. L. 6. C. quom. & quand. jud.*

XIV.

Coram quo
iudice pro-
ducuntur.

Coram iudice verò illo instrumenta noviter reperta possunt produci, qui in causa ad ejus forum spectante hactenus fuit occupatus. *L. 12. C. de jud. etiam coram successore ejus. arg. L. 24. ff. de minor.*

XV. Quæ.

XV.

Quæcunq̄ve etiam sint lites super rebus commercio humano non prorsus exemptis & in iudicio huc usq; ventilatæ, in illis etiam instrumenta noviter reperta produci licitum est, quarum aliquot species peculiare Legibus & DD^b expressas hinc afferre forte non erit incongruum.

In quibus controversiis producuntur noviter reperta instrumenta.

XVI.

I. In causa pupillari, Ecclesiastica & pia, Reipublicæ & Fiscali instrumenta post causæ conclusionem noviter reperta rectè producuntur. *L. 3. C. de jur. Reipubl.*

Causæ peculiare Legibus & DD^b ex-

II. In causa publica, ubi sententia contra utilitatem publicam lata est. *L. 35. ff. de re judic.*

pressæ undecim afferuntur.

III. In causa Transactionis propter fideicommissum facta, ubi ob codicillos postea repertos agitur de transactionis rescissione. *L. 3. §. 1. ff. de transact. obst. L. 16. L. 19. C. de transact.*

IV. In re iudicata, in qua instrumenta postea

B

stea

ali
ali
2.
ge
in-
ter
pe-
mi-
4.
str.
ita-
6.
vi-
ejus
12.
24.
væ.

stea reperta probant sententiam antea latam esse contrariam posteriori, quò casu posterior nulla est. *L. 1. C. quando provoc. non est necesse.*

V. In re iudicata ex causa iuramenti supplementarii à iudice inopiâ probationum delati & præstiti instrumenta postea reperta efficaciter produci possunt contra talem sententiam, quæ scilicet ex causa iuramenti huiusmodi lata in rem iudicatam transit, ad hoc, ut si veritas rei per nova instrumenta demonstraretur, sententia rescindatur. *L. 31. ff. de iurejur.*

VI. In causa iudicati, quando instrumenta ante causæ conclusionem ab adversario dolò malò fuerunt occultata. *arg. L. 19. C. de transact.*

VII. In causa judiciali, in qua volens producere instrumenta ante causæ conclusionem à iudice est injustè repulsus. *Felin. §. 22. ad c. 9. x. de fid. instrum.*

VIII. In causa, ubi conclusum est cum clausula oblationis, si quid facti &c. cuius clausulæ vigore sæpe Conclusiones in Camera rescinduntur & ulterior probatio facti, quod in
actis

actis quidem allegatum, sed sufficienter probatum non est, injungitur; quia virtute dictæ clausulæ judicis officium imploratum censetur, quod meritò impertiri debet per notata DD. in *L. unic. C. ut quæ desunt advoc. Gail. libr. 1. obs. 107. §. 9*

IX. In causa, ubi etiam post submissionem instrumenta ex consensu partium recipiuntur. *Felin. ad cap. 9. x. de fid. instrum. n. 17.*

X. In allegationibus juris, quando partes post causæ conclusionem Jctorum Consiliis & Responsis judicem informare nituntur, nulla enim probationibus juris præclusa est via, modò producentes non novum ad probandum terminum petant, qui aliàs denegatur. *L. cum nobis C. de dilat. Mynsing. cent. 6. obs. 56.*

XI. In causis, ubi judex ex officio procedit, si ita illi sederit. *cap. pastoralis, ibi nisi judex, de caus. possess. & propriet. cap. cum Jo. & ibi gloss. de fid. instrum. Dn. Engel in suo Colleg. univers. Jur. Canon. ad tit. 22. x. de fid. instrum.*

XII. In causis summaris, ubi instrumenta

noviter post causæ submissionem adinventæ conceduntur. *Felin. ad cap. 9. x. de fid. instrum. n. 19.*

XIII. Sententiâ ex instrumentis peritorum in arte, vel unius sapientis latâ, si alter litigantium Collegii alius, peritioris fortè, documenta super eadem causa postmodùm produxerit, auditur contra priorem sententiam. *Gail. libr. 2. obs. 111.*

XIV. In Criminalibus etiam, quavis causa conclusa vel jam sententia sit lata, nihilominus pro Rei innocentia ulterius deducenda contra conclusionem & sententiæ publicationem noviter reperta probatio produci potest; ratio est, quod contra innocentiam nunquam concluditur, neq; sententia publicata in rem judicatam transit. *L. 18. §. 9. ff. de quest. Mynsing. cent. 6. obs. 56.*

XV. Nec minùs in causis matrimonialibus adversus sententiam, contra matrimonium pronunciatam, noviter inventa instrumenta in effectum probationis adduci possunt, quia nec in matrimonialibus sententia, contra matrimo-
nium

niūm lata, in rem iudicatam transit, nec ulla
 ejus præscriptio obmouetur, sed error quando-
 cunq; detectus revocari potest. *cap. lator. gloss.*
ib. in verb. permanere x. de sent. Et re jud. cap.
tenor Et cap. consanguinei. eod. tit. Idem est,
 quando, obstante aliquo impedimento Cano-
 nicō, sententia pro matrimonio fuit lata, pars e-
 nim victa, quodocunq; vult, docere potest de
 impedimento, quod probatō, sententia declara-
 tur nulla. *Gail. libr. 1. obs. pract. 105.* Uti enim
 in hac matrimoniali causa post testium publica-
 tionem, imō causæ conclusionem novi testes
 super iisdem vel directō contrariis articulis pro-
 ducere licitum est. *Felin. in cap. 1. n. 2. ut lite*
non contest. Et ad rubr. despons. n. 5. Sic etiam
 par ratio est quoad instrumenta noviter reper-
 ta, præsertim cum quandoq; testes, uti ex supe-
 riùs allatis constat, instrumenta vocentur.

XVI. Post causæ conclusionem quoq; ad-
 mittuntur instrumenta noviter reperta, quan-
 do per illa non impugnatur facta causæ submis-
 sio, sed tantummodò probationes, autē causæ

B 3

con

conclusionem atq; adeò in termino, illatæ decla-
rantur. *Mynsing. cent. 6. obs. 56.*

XVII. In causa, ubi instrumenta de novo
confecta sunt, ob quæ litigantes, non expectatâ
Sententia, à lite discedere volunt, iudex etiam
post conclusionem in causa ea admittere tene-
tur. *Mynsing. d. loc.*

XVIII. In causa quoq; appellationis omiffa
probatoria primæ instantiæ per noviter inven-
tas probationes restaurari possunt. *L. 4. C. de
temp. appell. Ord. Cam. part. 3. tit. 33. §. in fall
aber. 3.*

XIX. Deniq; qui per sententiam in causa
succubuit, & impeditus producere instrumenta
probatoria in termino probationis protestatus
est de impedimento, ille per hanc protestatio-
nem tutus est, ut licet contra ipsum sententia sit
lata, nihilominus quandocunq; postea inveniatur
nova instrumenta, contra sententiam audien-
dus sit, *cap. past. extra de except. Mynsing. sing.
obs. cent. 4. obs. 60.*

XVI.

Forma est, quòd probationes novæ sive
instru-

instrumenta noviter reperta non statutò tempore, sed post causæ conclusionem demùm iudici insinuantur.

XVII.

Anteqvam verò dispiciamus, quid per statutum probationis tempus & causæ conclusionem intelligatur, inquiramus in requisita instrumentorum noviter repertorum.

XVIII.

Ut igitur post causæ conclusionem instrumenta noviter reperta efficaciter produci possint, requiritur regulariter (1.) ut producens alleget instrumentum ante conclusionem in causa sibi planè ignotum fuisse vel illò tempore amissum & post submissionem demum repertum. (2.) Ut juramentò præstitò confirmet, sibi producti hujus instrumenti copiam ante causæ conclusionem, omni etiam adhibita diligentia, non fuisse. Quæ duo requisita de jure Communi copulativè requiruntur. *cap. pastoral. 4. x. de except.* (3.) De jure Camerali insuper requiritur, ut in scriptis supplicet pro rescissione Conclusionis ob instrumenta noviter

Noviter reperta instrumenta non statutò tempore insinuantur iudici.

Duo sunt requisita horum noviter repertorum de jure Communi.

Tria verò sunt de jure Camerali.

la-
vo
atâ
m
ne-
sta
en-
de
all
usa
nta
tus
io.
sic
niat
en-
ing.
sive
tru-

vitèr reperta. *Ord. Cam. part. 3. tit. 23. §. 60*
aber etwas neues. *ic.*

XIX.

Juramentò
non probat
suam alle-
gationem
producens,
si ordinarîâ
probatione
gaudeat.

Quodsi tamen ille, qui instrumenta no-
viter reperta post causæ conclusionem produ-
cere intendit, suam exculationem ordinariâ
probatione verificare velit, sibi nimirum ante
submissionem in causa, quamcunq; etiam dili-
gentiam adhibuerit, horum instrumentorum
copiam non fuisse, tunc sanè suâ probatione
audiendus est, nam ordinariâ probatione mu-
nitus supersedebit subsidiariâ per juramentum.
Dn. Textor ad R. J. de anno 1654. disp. 4. tb. 83.

XX.

Visis jam requisitis horum instrumento-
rum, quæ ut plurimum adesse debent ad-
hoc, ut conclusio causæ rescindatur & ulterior
probatio concedatur, videndum jam est, quid in
definitione sive descriptione *PER STATUTUM*
PROBATIONIS SPATIUM intelligatur.

XXI.

Per *statutum probationis tempus* intelli-
tur ille terminus probationum, qui incipit
post

post litis contestationem. *cap. 5. Et tot. tit. extra ut lite non contest. & definit in causæ conclusionem. cap. 9. x. de fid. instrum. cap. 15. 36. 52. x. de test. auth. & qui semel C. de probat. Nam quoad terminum probationum exclusivum conclusio causæ & sententia parificantur. Felin. ad c. 9. x. de fid. instrum. ubi perelegans est.*

Terminus probationum de jure Communi.

XXII.

In terris Saxonis terminus probationis est sex septimanarum & trium dierum, quò effluxò probatio circumducitur. *Carpzov. de process. tit. 14. art. 1. num. 2. Et seqq. Et in jurisp. for. part. 1. Const. 16. def. 1. Et seqq. Et solet ita pronunciari, daß Kläger an seinem Beweiß sich nunmehr verspätet oder versäumt / derhalben Beklagter von der Klage zu absolviren.*

Terminus probationis de jure Saxonico.

XXIII.

Solet quoque non rarò Actor ante litis contestationem cum libello documenta judici insinuare, eum in finem, ut non solùm judicem in causa sua, sed etiam ipsam partem adversam

Actor non rarò ante litis contestationem cum libello documenta judici insinuat.

C

in-

instruat, ut hic secum deliberare possit, an iudicio contendere, an verò illud omittere velit, & hoc salutare est litium non tantum abbreviandarum remedium, sed de hoc quoque salubriter provisum est in *Recessu Imperij novissimo*. §. *beneben bleibt einem jeden*. 35.

XXIV.

In Camera regulariter nudis Libelli narratis statur ante Litis contestationem. Excipiuntur certæ causæ, ubi unà cum supplicantis libello instrumentis opus est.

Et quamvis in Camera pro obtinendis Processibus nudis Libelli narratis ordinariè standum sit. *Gail. lib. 1. obs. 31. n. 1.* Tamen quandoque necesse est, ut supplicans ante litem contestatam suum libellum documentis & probationibus verificet, idque tam de Jure Imperij novissimo quam Praxi Camerali, ut in supplicibus literis pro obtinendis Mandatis S. C. *Recessu Imperij de a^o 1654. §. alle Supplicanten. 79.* item in causis denegatæ vel protractæ justitiæ. *Gail. lib. 1. obs. 28. § 4. & obs. 31. n. 7.* in supplicatione pro citatione ad videndum relaxari juramentum ad effectum agendi. *Gail. 1. obs. 22. n. 4. & obs. 31. n. 8.* in causa L. diffamari. *Gail. obs. 10. n. 7. & 8. R. J. de anno 1654. §. Cammer-Richter.* In supplicibus pro Processibus Appellationis. *Recessu Imp. de*

de anno 1654. und nachdem, §. 120. & aliis
causis.

XXV.

Quæ tamem Instrumenta (extra casus modò
exceptos) si libello Actoris adjuncta fuerint,
non tam sunt probatoria quam informativa &
demùm post litem contestatam sunt reprodu-
cenda, ut probent tanquam pars Actorum &
partem adversam stringant. *Mynsing. observ. 53.*
cent. 2.

Instrumenta
reg. post
litem conte-
statam pro-
bant.

XXVI.

Et licet de jure communi exceptiones Fori
declinatoriæ & dilatoriæ regulariter ante litem
contestatam proponantur. *L. 13. C. de Procur.* ta-
men per R. Imperij novissimvm de anno 1654.
§. Es sollen auch hinführo. 32. debent à Reo
omnes exceptiones, quas habet, dilatoriæ & per-
emptoriæ (excipiuntur declinatoriæ, quæ ut
unà cum Litis Contestatione Eventuali propo-
nantur, à Lege non jubetur. *R. Imp. §. und hat
der Beklagte 35.*) proponi annexà Even-
tuali Litis contestatione, idque tam in processu-

Exceptiones
Rei reg. de
jure novissi-
mo unà cum
Litis conte-
statione e-
ventuali
sunt propo-
nendæ.
Fallit hoc in
Fori decli-
natoria.



bus simplicis querelæ quàm Appellationum.
*confer. Roding. in Pand. Cam. lib. 3. tit. 30. p. m. 817.
 in verb. sed revocata &c.*

XXVII.

Exceptiones
 Rei quan-
 doque post
 terminum
 Legis vel
 Ordinis pro-
 ducuntur.

Hæ tamen Exceptiones etiam post termi-
 num Legis vel Ordinis produci possunt in vim
 probationis, si scilicet illæ demùm post termi-
 num ad allegantis notitiam pervenerint, idque
 ab ipso allegante fuerit juramentò probatum.
*cap. pastor. 4. extra de except. egregius est textus
 Capituli & meretur, ut apponatur, ita verò so-
 nat: Quoniam per dilatorias exceptiones mali-
 tiosè nonnunquam causarum terminatio proro-
 gatur, inquisitioni tuæ respondendo decernimus,
 ut intra certum tempus à iudice assignandum o-
 mnes dilatoriæ proponantur ita, quod si partes
 ex tunc aliquas voluerint opponere, quas non
 fuerint protestate, nullatenus audiantur, nisi
 fortè aliqua de novo sibi competens exorta fue-
 rit, vel is, qui voluerit eam opponere, fidem fa-
 ciat juramentò, se postmodum ad illius notitiam
 pervenisse.*

XXVIII.

Finis productionis instrumentorum noviter repertorum est, ut sic Judici de causæ in judicium deductæ veritate innotescat, & secundum illa cognoscat & pronunciet.

XXIX.

Effectus est Rescissio conclusionis & ulterioris probationis concessio.

XXX.

Hic non ineptè quæritur, quid sit Conclusio & Submissio in causa? Est hæc nimirum omnium probationum & allegationum, sive in jure sive in facto consistant, ab utroque litigantium facta Renunciatio & submissio ad ferendam sententiam. *Specul. in pract. lib. 2. part. 2. rubr. de renunc. & conclus.*

Conclusio
in causa
quid sit.

XXXI.

Quoniam verò Juris Remediō utitur produ-
ducens noviter reperta Instrumenta? Inter Dd.
non adeò convenit; sunt, qui dicunt produ-
centi competere Remedium Restitutionis in
C 3

Quoniam ju-
ris remediō
utitur pro-
ducens novi-
ter reperta
instrumen-
in- ra?

integrū , moti *cap. auditis x. de restit. in integr.* Verūm licet ibi mentio fiat Restitutionis in integrum ex parte Ecclesiæ agentis ex capite noviter repertorum Instrumentorum, tamen in hoc Ecclesiæ passu non tam attenduntur noviter reperta Instrumenta, quàm Ecclesiæ, quæ gaudet jure pupilli vel minoris, jus singulare & eidem facta Læsiō, atque adeò hic casus specialis non est extendendus ad alios casus, siquidem in hoc Rescissionis Remedio potius quæritur, an producens instrumenta post causæ conclusionem mediante juramento probet sibi non fuisse copiam producendi Instrumenta ante Conclusionem. *Ord. Cam. part. 3. tit. 23. §. Sed aber et was neues x.* atque adeò hoc Rescissorium Judicium esse peculiare quoddam Remedium scilicet *Implorationis Officij Judicis* Neoterici præsertim Jurisconsulti censent. *vid. Myrsing. 2. observ. 53. Roding. Pand. Cam. lib. 3. tit. 36. p. m. 868. in verb. an autem conclusio rescindatur ex officio &c. Dnus Textor ad Recess. Imp. de anno 1654. disp. 4. th. 81.*

Alia emergit quæstio, quamdiu duret hæc imploratio officij iudicis & quando ea comperat? Sane si hoc remedium pro beneficio restitutionis in integrum habeatur, res ratione durationis est expedita; secus si pro peculiari remedio; & tunc hac de re Legibus vix aliquid expressum invenietur. Dies verò hujus remedij sine dubio currit à tempore scientiæ, ita ut, si producens nova instrumenta per centum annos ignoraverit illa, nihilominus post modum ijs posset uti à tempore scientiæ. *vid. Gail. lib. 2. pract. obs. 48.*

Quando currit hoc remedium?

XXXIII.

Ultimò sunt casus, ubi ne quidem Rescissione Conclusionis, vel sententiæ opus est: scilicet in omnibus illis causis, ubi sententia ipsò jure non attenditur, vel licet lata fuerit sententia, tamen in rem judicatam non transit; tales sunt causæ, Matrimoniales, Criminales, summariæ &c. (de quibus latius egi in thes. superioribus) *arg. L. 2. C. in quib. caus. t. t. ff. quæ sent. sic*

Casus nonnulli, ubi Rescissione Conclusionis vel sententiæ non est opus.

Nec jura-
mentò.

sic appell. Et tunc per consequens nec juramen-
tum præstandum venit. *Dn. Textor ad Recess.*
Imp. de anno 1654. disp. 4. tb. 84.

XXXIV.

Epilogus,

Et tantùm de Instrumentis noviter repertis!
Benevolus Lector pauca hæc, quæ scripti, æqui
bonique consulet & errores, si qui fortè irreple-
rint, pro sua dexteritate rectè interpretabitur &
corriget. DEO interim pro clementer
concessis viribus sit Honor & Gloria
in sempiterna secula.

FINIS.



Erfurt, Diss., 1694-95


ULB Halle 3
005 607 604




TA → OL

VO 17







C. D. 1694, 2
INAUGURALIS,
DE

26.
2

ITER RTIS IN- MENTIS,

Oder
ten *W*hrfunden/
viam,

AUTHORITATE
ULTATIS JURIDICÆ
VERSITATE ERFFURTINA
PRO
TROQUE JURE SUPREMIS
& PRIVILEGIIS

visitationi subicit
- BALTHA-
Gottwalt /

Ö-Francus,
ur.Colleg. major.
ris Anno M. DC. XCIV.
L. C.

ENR, GROSCHII, Acad. Typogr.